


55185

Biblioteka Jagiellońska



stdr0025495



*97.77  
Serco*  
*15 Kop. Helt. pol. 6223*

# S E R M O AD ILLUSTRISSIMUM, EXCELLENTISSIMUM & REVERENDISSIMUM DOMINUM, D. CASIMIR V M a L U B N A L U B I E N S K I,

*Dicitur & Apostolicæ Sedis Gratiâ,  
EPISCOPVM CHELMENSEM,  
Sede Vacante Episcopatûs Cracovien: & Ducatûs Se-  
veriæ, ac Abbatiae Czerwenensis Perpetuum*

*ADMINISTRATOREM GENERALEM  
In primo suæ ILLVSTRISSIMÆ, EXCELLENTIS-  
SIMÆ, & REVERENDISSIMÆ Celsitudinis,  
ad Suam CATHEDRAM CHELMENSEM ingressu.*

*A Perillustri & Reverendissimo Domino,  
PAVLO, à Chotczá, CHOTECKI,  
V. I. DOCTORE, ARCHIDIACONO, VICARIO in  
Spiritualibus, & OFFICIALI Generali CHEMENSI,  
CANONICO CATHEDRALI LUCEORIENSI, Garbowien: Bo-  
brovianen: &c. PRÆPOSITO, S. R. M. SECRETARIO,*

## H A B I T V S.

*Anno Domini M. DCC. VI. Die ad Mensis Maii.*

*ZAMSCIL TYPIS UNIVERSALIS*





Deo peraugustum Caput nostrum: adsumus & nos obsequentiissima membra Tua,  
LLVSTRISSIME, EXCELLENTISSIME, & REVERENDISSIME DOMINE,  
PASTOR, Benefactor Noster Munificen-  
tissime, Desideratissime. Adsumus, inquam, Membra  
TVA; nec enim Membra deceat à CAPITE recedere: ut  
vnum plenumq; Corpus integrant. Verè CAPVT  
Nostrum es: nec Gentilitium tantum, sed & Pastoritiū.  
Verè & Nos Membra TVA sumus; & immediata quidē:  
Seqvimurq; Caput, non tam passibus corporis, quam  
potius fidelissimæ devotionis, & venerationis. Tanto  
negotio quod Te præfecerit Polonia, altissimæ id ac  
divinæ prorsus, opus est prudentiæ: ut pote, qui tam  
secundus Consilij sis; ut etiam in Avito Stemmate CA-  
PVT geras: ne Gentilitium quoq; Symbolum, absq;  
CAPITE esse volens. Bonum TIBI omen, Polonia,  
de bonæ mentis Capitolio. Olim cùm illud, Romanæ  
non tam Majestatis domicilium, quam superbiam monu-  
mentum, surgeret Capitolium, Tulli CAPVT, in funda-  
mentis, inter rudera repertum, Romam fore CAPVT  
Orbis, fausto signabat omine: quidni licet augurari, e-  
tiam hoc, quod in TWO Insigni geris, CAPITE, inter

collabentis jam Patriæ rudera in altum sublato, erectam CAPVT Poloniam?

Jam nova Sarmatica surgent Capitolia Gentium.

Quæ CAPUT in Ceris possidet una TVIS.

Infirmitum, vel maximè calamitoso hoc tempore,  
Ecclesiæ Corpus, firmam sibi affore promittit ex TWO  
Insigni sanitatem: firmissimo animatum Naturæ exem-  
plo, à Capite in totum Corpus salutem derivantis. CA-  
PVT TVVM Vivum Musæum, reconditionis Aurifodi-  
na Sapientiæ; ex quo, tanquam ex secreto Musarum  
adyto, salubria incolumentati suæ Ecclesia & Respublica  
depromit arcana: ut cum Poëta dicere jure possim

Namque TVUM meritò Bibliotheca CAPUT.

Quid dico cum Poëta? imò cum Apostolo: illud (a)  
Spiritus Sancti, per os illius prolatum de CHRISTO,  
cujus Tu vices inter nos locumque: tenes, quidni TIBI  
quadrare fatear oraculum: *Et ipsum dedit CAPUT*  
*supra omnem Ecclesiam, quæ est Corpus ejus.* O aure-  
um CAPVT TVVM! quod Tu quidem unus nunc ad  
nos inclinas: sed cum eo simul tot Celsissimorum Capi-  
tum Lumina infers; quot ex Stirpe Tua ILLVSTRIS-  
SIMA, velut è Luminum Fonte, citra Poëtarum fabu-  
lam, Soles emersere. Infers, inquam, CELSISSIMOS  
ac REVERENDISSIMOS, ARCHIEPISCOPOS, Pri-  
mos PRINCIPES & PRIMATES Regni, EPISCO-  
POS

POS Vladislavienses, Plocenses, Luceorientes, Premi-  
slienses, Nostros Chelmenses, Chiovienses. Inferi Se-  
natores Supremos, Regni Thesaurarios, Praefectos, Ju-  
dices, Militiae Magistros, Libertatis Amatores & Nu-  
tritios, Patriae & Regni PATRES, ac Defensores, ali-  
osque Summis Dignitatibus præfulgentes: qui Castra  
Sagis, Senatum Togis, Ecclesias Cathedrales Tiaris, Ho-  
noribus, liberalissimis Fundationibus, Reparationibus,  
numerosis Sacrificijs, Psalterijs, Bibliothecis, alijsq; no-  
bilissimis impleverunt monumentis. Loquatur Nostra  
Cathedralis Ecclesia magnalia ILLVSTRISSIMI MA-  
THIAE LVBIENSKI, Sponsi primò sui; postea successi  
temporum ac meritorum Gnesnensis ARCHIEPISCO-  
PI. Loquatur Clerus inferior Ecclesiae hujus, quanti  
fecit animabus suis. Premis & TV PRÆ SVL ILLV  
STRISSIME munificentiae Tuorum Vestigia Majorū:  
dum in primo hoc Tu felicissimo ingressu, spoliatae per  
hostium rabiem Sponsæ Tuæ consultum iens; eamdem  
ad sacrificandum DEO hostiam laudis, tot Calicibus  
pretiosis donasti, tot splendidis apparamentis exornasti.  
Utinam vero nobis Coelum, hoc tragico & calamitoso  
rerum statu, plures ejusmodi depluat Viros! nondum  
Ecclesiæ sub tantis Athlantibus succumberent; non la-  
biceret Pietas & Religio; adhuc vix spirans Respublica  
vividior respiraret; desperans meliora speraret, & pla-

nè jam mortua, vegetior resurgeret. Sunt TIBI pluri-  
ma ANTISTES REVERENDISSIME Domus TVÆ  
Gentilitia Decora: sunt Pontificæ Insulæ: voluete tamē  
Superi etiam nostram sociari illis Chelmensem: non Te  
ornaturam, sed à Te ornandam; ut cui tanto plus à Tua  
persona accedit dignitatis, quanto Tu dignior. Volu-  
ere Manibus Tuis inseri Pastorale, Diœcesis nostræ, sub  
tot calamitatum pondere gemetis, Pedum: ut hoc sus-  
fulta Scipione, tantâ sub mole ruens, lætior assurgat. Vn-  
de Cathedra & Diœcesis Nostra exultat tam Splendido  
sub CAPITE: ominata sibi, in his Reipubl: tenebris, dies  
candidos; sub tantæ Felicitatis Candidato. Debebit im-  
mortales Supremo omnium Pastorum Pastori gratias,  
protam Vigili ac Dignissimo Pastore. Talis enim dece-  
bat ut nobis esset PONTIFEX.<sup>b</sup> Talem Serenissimus  
voluit REX honorare. <sup>c</sup> Talem Summus in Orbe Pon-  
tifex præ alijs adamavit: oris sui præconio Antistitem  
Chelmensem promulgavit: diem jucundissimi ad Ca-  
thedram, aliaq; principaliora Diœcesis Tepela, ingressus,  
sparsis, de thesauro Ecclesiæ, Plenariæ Indulgætiæ mune-  
ribus beavit, condecoravit. Et quærat jam aliquis:

*Ante alias, quare hunc tanto dilexit amore?*  
Sed promptum dabit Pietas & Integritas pro suo Posse-  
fere responsum:

*Quod pius ante alias: integer ante alias.*

Sed

Sed jam argumenti magnitudine opprimimur; laudumq;  
materies & copia, inopes facit verborum. Patere igitur  
PRÆSVL ILLVSTRISSIME, TVÆ Vitæ heroicos a-  
ctus, & Præfuleas prærogativas, pio ac debito silentio  
à nobis celebrari. Nunc jam felici pede Cathedram  
TVAM ingredere, Gratiarum corculum; Forma  
gregis, Vita Cleri TVI: Consilium Reip: Senatūs ora-  
culum, Mens Poloniæ; Delicium Superūm Deliciumq;  
hominum; Famâ super æthera notus; Gloria Lausq; So-  
li. Dominus custodiat introitum TVVM: & exitum  
TVVM (⁹) non nisi ad Supremos Honores: quibus  
semper prælucceat: Plus ultra. Addatur gratia CAPITI  
TVO, & torques collo TVO. (⁹) Vive PONTIFEX:  
sub TE Pastore canes in oves convertentur. (⁹) Tuumq;  
Nomen si non exprimendo, saltem inhoando celebrare  
conabuntur. Nonnullarum Nationum mos erat, ut  
Episcopis suis ingressum gratulabundæ, duas ex literis  
aureis offerrent voces: BONVS PASTOR: Et Nos, &  
Nostra Diœcesis, confitemur, prædicamus, agnoscimus,  
TE esse BONVM PASTOREM. Alexandro Severo  
Imperatori circa solennem ejus Inaugurationem accla-  
mabat populus Imperio subiectus: DII Te servent: DII  
Te Nobis dederunt: Dij Te servent. Vive. TE diligi-  
mus: TE Principem novimus. Imperator Nostræ Diœ-  
cesis es, ANTISTES ILLVSTRISSIME: paria fundimus  
TIBI.

(⁹) Psal. 119. 1. 8.

(⁹) Exoyth. 1. 1. 2.

(⁹) Platina.

TIBI Vota: DEVS TE servet: DEVS TE Nobis dedit:  
DEVS TE servet. Vive. TE diligimus: TE Pastorem  
novimus: TIBI humiles supplicamus: ut, ipsomet Aviti  
Stemmatis TVI, Patria voce monente titulo, ILLV-  
STRISSIME POMIAN, nostri recorderis.



